



CONGREGATIO
DE INSTITUTIONE CATHOLICA
(DE STUDIORUM INSTITUTIS)

DECRETUM

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE STUDIORUM INSTITUTIS)
lectis seduloque perpensis

STATUTIS
FACULTATIS THEOLOGICÆ
UNIVERSITATIS THORUNIENSIS

ad normam Constitutionis Apostolicæ *Veritatis gaudium* adnexarumque Ordinationum accurate recognitis, quæ in eiusdem LIX Articulis definiuntur ac statuuntur, pro munere hoc Decreto ad quinquennium experimenti gratia rata habet atque approbat, omnibusque ad quos pertinet, ut rite observentur, præcipit; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die III mensis Iulii, in memoria S. Thomæ Apostoli, a. D. MMXX.


PRÆFECTUS

+ d. 
A SECRETIS

PRAESCRIPTA – STATUTA

FACULTATIS THEOLOGICAE UNIVERSITATIS COPERNICANAE TORUNIENSIS

INTRODUCTIO

Universitas Copernicana Toruniensis gloriosas memorias Universitatis nomini Stephani Batory dicatae Vilnensis et Universitatis nomini Joannis Casimiri dicatae Leopoliensis a maioribus traditas porro persequitur. Mentem ad quam acceptam antiquitus opinionem appellans Facultatem Theologicam constituit. Cuius initium cepit e sequentibus monadibus scientificis: e Seminario Maiore dioecesis Toruniensis nomini Beati Stephani Vincentini Frelichowski dicato, Seminario Maiore dioecesis Vladislaviensis, Academico Instituto Filiali Pontificalis Facultatis Theologicae Varsaviae et Sectione Sancti Joannis Baptistae Vladislaviae. Quorum omnium institutionum Seminarium Maius Vladislaviense Anno Domini 1569 erectum veterrimum est. Atque Seminarium Maius Toruniense, Academicum Institutum Filiale Pontificalis Facultatis Theologicae Varsaviae et Sectio Sancti Joannis Baptistae Vladislaviae Anno Domini 1993 condita sunt.

Episcopus Toruniensis cum assensu Conferentiae Episcopatus Poloniae (cfr. litterae Praesidis Conferentiae Episcopatus, Primatis Poloniae, die 12 mensis maii 1998 sub numero 1851/98/9) operam incepit, ut a Sede Apostolica Facultas Theologica rite approbaretur.

Facultas Theologica normis Codicis Iuris Canonici, praecipue can. 815-820, et Constitutionis Apostolicae *Veritatis Gaudium* Papae Francisci (die 8 mensis Decembris 2017) atque ceterorum documentorum de Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis a Sede Apostolica promulgatis necnon sententiis pacti inter Sedem Apostolicam et Poloniam conventi (die 28 mensis Iulii 1993) regitur.

Seminaria Maiora dioecesis Toruniensis, Vladislaviensis et Pelplinensis propriam ordinationem habent. Quorum Seminariorum alumni in Facultate Theologica Universitatis Copernicanae Toruniensis studia perficiunt et gradus academicos salvis praescriptis ecclesiasticis et civilibus assequuntur.

I. DE FACULTATIS THEOLOGICAE NATURA ET FINIBUS

Art. 1

1. Facultas Theologica Universitatis Copernicanae Toruniensis a Sede Apostolica erecta est et respondet conditionibus, quae ad huiusmodi Facultates Ecclesiasticas pertinent, necnon in sua actione praescriptis in documentis ecclesiasticis exstantibus regitur.

2. Quae Facultas civilis Universitatis Copernicanae Toruniensis integralis pars est nec minus praescriptis civilibus paret.
3. Statutis Universitatis identitas ecclesiastica Facultatis Theologicae eiusque necessaria dependentia ab auctoritate ecclesiastica agnoscitur. Mutuae relationes inter Universitatem et Facultatem Theologicam peculiari Conventione a Praeside Conferentiae Episcopatus et Episcopo Toruniensi atque ab Administro Educationis Gubernii Rei Publicae Polonorum et Rectore Universitatis Copernicanae Toruniensis subsignata ordinantur (cfr. Conventio, die 29 mensis Maii 2001).
4. Facultas ad iudicium aestimationis Procurationis Sanctae Sedis ad Aestimandam et Promovendam Qualitatem Universitatum et Facultatum ecclesiarum (AVEPRO) atque congrue cum legibus Poloniae ad iudicium Commissionis Aestimationis Poloniae (PKA) subicitur.

Art. 2

1. Facultas Theologica eo tendit ut doctrina catholica, ex divina Revelatione maxima cura hausta, methodo scientifica sibi propria alte perspiciatur et systematice enucleetur; atque humanorum problematum solutiones sub ipsius Revelationis lumine sedulo investigentur (*Veritatis Gaudium*, art. 69)
2. Sacrae Scripturae studium sit veluti anima Theologiae, quae in Verbo Dei scripto, una cum viva Traditione, tamquam in perenni fundamento innititur (*Veritatis Gaudium*, art. 70).
3. Disciplinae theologicae ita tradantur ut earum organicus nexus clare appareat et in luce ponantur variae rationes seu dimensiones, quae ad doctrinae sacrae indolem intrinsecus pertinent, quae imprimis est biblica, patristica, historica, liturgica et pastoralis. Studentes vero ducantur ad altam materiae acquisitionem simulque ad personalem synthesim formandam, ad methodum inquisitionis scientificae comparandam atque idonei fiant ad sacram doctrinam apte exponendam (*Ordinationes*, art. 53).
4. In doctrina tradenda normae observentur quae in documentis Concilii Oecumenici Vaticani II reperiuntur (Cfr praesertim CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*; Decr. de Institutione sacerdotali *Optatam totius*.) aequae ac in recentioribus Apostolicae Sedis documentis (Cfr praesertim PAULUS VI, Epistula *Lumen Ecclesiae*, Ad P. Vincentium de Couesnon, O.P., de S. Thoma Aquinate (20 Novembris 1974): AAS 66 (1974), 673ss.; SACRA CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, Litt. *De institutione theologica* (22 Februarii 1976); *De institutione canonica* (1 Martii 1975); *De institutione philosophica* (20 Ianuarii 1972), *De institutione liturgica* (3 Iunii 1979); *De institutione in mediis communicationis* (19 Martii 1986); *De institutione in doctrina sociali Ecclesiae* (30 Decembris 1988); *De patrum Ecclesiae studio* (10 Novembris 1989); *De institutione circa matrimonium et familiam* (19 Martii 1995).), quatenus ad studia academica quoque spectent (*Ordinationes*, art. 54).
5. Veritas revelata consideretur quoque in conexione cum progredientis aetatis acquisitionibus scientificis ut clare perspiciatur «quomodo fides et ratio in unum verum conspirent» atque eius expositio talis sit, quae, sine veritatis immutatione, ingenio indolique uniuscuiusque culturae accommodetur, peculiari ratione habita philosophiae

et sapientiae populorum, seclusa tamen omnis syncretismi et falsi particularismi specie. Valores positivi, qui in variis philosophiis et culturis inveniuntur, sedulo investigandi, sehgendi et assumendi sunt; non tamen accipienda sunt systemata et methodi, quae cum fide Christiana componi nequeant (*Veritatis Gaudium*, art. 71).

6. Quaestiones oecumenicae, iuxta normas a competenti Auctoritate ecclesiastica editas, accurate pertractandae sunt. Relationes quoque cum religionibus non christianis attente considerandae sunt. Sedula cura examinanda sunt problemata, quae ex hodierno atheismo aliisque opinationibus hodiernae culturae oriuntur (*Veritatis Gaudium*, art. 72).
7. In doctrina catholica investiganda et docenda fidelitas erga Ecclesiae Magisterium semper eluceat (*Veritatis Gaudium*, art. 73).
8. Ad munera Facultatis Theologicae imprimis attinent:
 - 1) alumni Seminariorum Maiorum eruditionem in theologiae disciplina superiorem praebere et ad suscipiendum ministerium presbyteri praeparare;
 - 2) studentes laicos et religiosos ad catechesim in schola tradendam atque ad varias partes actionis pastoralis Ecclesiae ducendas instituere;
 - 3) clericos et laicos atque Praebitores Ecclesiae constanter promovere altiusque instituere;
 - 4) investigatores scientificos sua sponte agentes praeparare;
 - 5) investigationes scientificas in ambitu disciplinarum ecclesiasticarum exercere;
 - 6) symposia, lectiones publicas et cursus speciales praeparare;
 - 7) cooperationem cum aliis universitatibus, facultatibus et scientiae centris eclesiasticis in Polonia et externis promovere;
 - 8) mutua opera cum aliis universitatibus, facultatibus et scientiae centris laicis domesticis et externis, quae suis legibus vivunt;
 - 9) active Ecclesis localibus nec non Ecclesiae universae in toto opere praedicandi Evangelii auxilium ferre.

Art. 3

1. Ambitus investigationum scientificarum et institutionis studentium patet disciplinis theologicis, philosophicis et humanis, quae in plenis studiis theologiae requiruntur et ab Ordinationibus Constitutionis Apostolicae *Veritatis Gaudium* (art. Constitutionis et cfr. art. 30-34; 53-59).
2. Ad idonea munera scientifica et didactica explenda Facultas Theologica 5 cathedras habet, scilicet:
 - a) Cathedram theologiae historicae cum laboratoriiis: studia ad bibliam pertinentes; historiae Ecclesiae; patrologiae et antiquitatis christianae.
 - b) Cathedram theologiae systematicae cum laboratoriiis; theologiae fundamentalis et de religionibus non christianis; theologiae dogmaticae et oecumenicae; theologiae moralis et spiritualis.
 - c) Cathedram theologiae practicae cum laboratoriiis: theologiae liturgiae; theologiae pastoralis; homileticae disciplinae et instrumentorum communicationis fidei; catechesis.

- d) Cathedram scientiae socialis et iuris canonici cum laboratoriiis: catholicae scientiae socialis; paedagogiae christianae atque iuris canonici.
 - e) Cathedram philosophiae christianae.
3. In Facultate etiam laboratoria scientifico - didactica adsunt: laboratorium, in quo investigatur, quo modo Scriptura Sancta a Sancto Thoma interpretabatur; laboratorium analysis litterariae Sanctae Scripturae novis methodis; laboratorium „Laboratorium Joannis Pauli II”; laboratorium „Tractus Sancti Jacobi Apostoli.”
 4. Consilium Decani de constituendis novis cathedris et laboratoriiis, ratione commodorum habita praevio assensu Magni Cancellarii et approbatione Congregationis de Institutione Catholica adepta ad Senatum postulare potest.

Art. 4

1. Consilium Decani habet ius praeparandi propria Statuta, quae Congregatio de Institutione Catholica approbat. Mutationes Statutorum ab eadem Congregatione approbandae sunt.
2. Normae minutae Facultatis, ratio studiorum, ordo examinum ad Magisterum, Licentiam et Doctoratum a Consilio Disciplinae Scientiae Theologicae salvis praescriptis ecclesiasticis et civilibus definiuntur. Quorum concordantiam cum praescriptis ecclesiasticis Magnus Cancellarius et cum praescriptis civilibus Rector Universitatis Copernicanae Toruniensis tuetur.
3. In Facultate Theologica gradus et tituli scientifici firmis praescriptis ecclesiasticis et civilibus conferuntur.
4. Facultas Theologica, sicut ceterae Facultates Universitatis Copernicanae Toruniensis, proprio sigillo utitur.

II. SOCIETAS ACADEMICA ET EIUS PRAESIDIUM

Art. 5

Episcopus Toruniensis vel, sede vacante, qui eius vicem gerit, Facultatis Theologicae Universitatis Copernicanae Toruniensis Magnus Cancellarius est, qui partes Sanctae Sedis pro Facultate et simul Facultatis pro Sancta Sede atque in rebus peculiaribus etiam apud auctoritates civiles agit.

Art. 6

Magnus Cancellarius:

1. Curam sustinet de exsistentia et progressu Facultatis; eiusque studia et identitatem ecclesiasticam promovet; curat, ut doctrina catholica incorrupta tradatur atque statuta et leges a Sede Apostolica praescripta observentur.
2. Communitatem inter omnes sodales societatis academicae et communitas investigatorum et studentium Facultatis cum Ecclesia locali et universali fovet.

3. Candidatos a praeside Comissionis Suffragatoriae Universitatis pronuntiatos ad electionem Decani approbat.
4. Congregationem de Institutione Catholica de electo Decano certiolem facit ad approbandum et electi Decani professionem fidei accipit.
5. Congregationi de Institutione Catholica declarationem Nihil obstat docentibus antequam ad supremum ordinem didacticum promoveantur (professor) et candidatos de titulo doctoris honoris causa conferendo a Facultate commendatos proponit (cfr. Veritatis Gaudium, art. 27 § 2).
6. Missionem canonicam praeceptoribus academicis confert et gravibus de causis aufert congrue cum praescriptis Constitutionis.
7. Congregationem de Institutione Catholica de conditione scientifica, ethica et oeconomica atque singulis quinquennibus et de proposito strategico cum opinione sua congrue cum norma praescripta a Congregatione de Institutione Catholica certiolem facit.
8. Postulante Decano pastorem academiae communitatis constituit.
9. Sumptus subsidiariorum ecclesiasticorum designatorum ad actionem Facultatis Theologicae custodit.
10. Mittit Sanctae Sedi Statuta Facultatis ad approbanda.

Art. 7

1. Decanus Facultatem administrat eamque foris repraesentat.
2. Decanus superior est omnium, qui in Facultate opus faciunt et superior tutorque Facultatis studentium. Res scientificas, educativas et administrativas Facultatis inspicit.
3. Decanus consiliis monadum Facultatis interesse potest.
4. Per manus Decani litteras officiales, quae ad Facultatem pertinent, transeunt. Omnia scripta monadum Facultatis et earum organorum Decanus opinione sua instruere potest.

Art. 8

Ad munera Decani imprimis pertinent:

- 1) Praesentem industriam Facultatis dirigere;
- 2) Elaboratio strategiae progressus Facultatis congrue cum strategiam progressus Universitatis;
- 3) Res nummarias Facultatis congrue cum normis in Universitate obligatis gerere;
- 4) Officia exsequi praefecti professorum academicorum;
- 5) Officia exsequi directi praefecti decanatus;
- 6) Officia exsequi custodis studentium Facultatis;
- 7) Affirmatio recti tractus processus et qualitatis eruditionis;
- 8) Designare pro-decanis rationem agendi;
- 9) Efficere rationem personalem Facultatis;
- 10) Suscipere in se sententias in rebus pertinentis ad operarios, quae non recusatae sunt ad proprietates organorum vel aliorum munerum moderatorum Universitatis;

- 11) Curam explere de industria ad monadas Facultatis pertinente;
- 12) Partes Facultatis agere;
- 13) Designare eos, qui mandata Decani habent;
- 14) Designare commissiones Facultatis opinione consulta Consilii Decani;
- 15) Assignatio munerum didacticorum, quae operarii Facultatis funguntur;
- 16) Ordinatio operis Consilii Decani;
- 17) Admissio vel abductio studentium congrue cum Statutis;
- 18) Accomodatio ad praesentia non minus quam semel in anno annotationum Facultatis in basi annotationum Congregationis Educationis Catholicae;
- 19) Informare Magnum Cancellarium et Rectorem Universitatis de rebus pertinentibus ad Facultatem;
- 20) Cooperationem cum aliis monadibus Universitatis in ambitu interdisciplinarium rationum didacticarum atque cum patriis extraneisque centrīs scientificis;
- 21) Securitas laboris et ad corporis munditiam pertinentes conditiones in Facultate tueri;
- 22) Exercere alia munera mandata a Rectore et Magno Cancellario Facultatis.

Art. 9

1. Decanus e clericis, qui titulum professoris vel gradum doctoris habilitati habent, ad quadriennium eligitur a universo coetu operariorum Facultatis, in quo sunt omnes praeceptores academici, operarii decanatus et studentes Facultatis, qui socii Collegii electorum sunt.
2. Universum coetum operariorum convocat is, qui in Facultate non laborat et cui praeses vel vice-praeses Commissionis ad eligendum Decanum Universitatis praest. Praeses coetus ius suffragii non habet.
3. Candidatos, de quibus decanus eligitur, omnes operarios Facultatis, de quibus in capite 1 dicitur, declarare possunt.
4. Declaratio litteralis cum confirmatione in manus Praesidis Commissionis ad eligendum Decanum Universitatis intra quattuordecim dies ante constitutum universi coetus operariorum terminum praebet. Ad declarationem subscriptam concordiam candidati adiungendum est.
5. Praeses Commissionis ad eligendum Decanum Universitatis convertit se ad Magnum Cancellarium Facultatis de approbatione candidatorum.
6. Praeses nomina candidatorum in indicem refert intra septem dies ante terminum universi coetus operariorum.
7. Candidatus in suffragio occulto eligitur absoluta maiore parte punctorum in praesentia minime dimidiae partis operariorum Facultatis, de quibus in capite 1 dicitur.
8. Si duo vel plures candidati idem numerum punctorum adepti sunt perficitur extraordinarium suffragium pertinens ad eos candidatos. Electus est is candidatus, qui maximum numerum punctorum obtinuit. Praeses Commissionis ad eligendum Decanum Universitatis de electo candidato Rectorem et Magnum Cancellarium Facultatis certiore facit, qui prompte eum ante oculos Congregationi Educationis Catholicae ponit rogans confirmationem. Rector, cum eam obtinuit, decanum designat.

9. Decanus eligitur congrue cum calendario suffragatorio Universitatis.
10. Magnus Cancellarius professionem fidei ab electo decano accipit.
11. Si decanus officio suo fungi destitit ante tempus praestitutum, universus coetus operariorum, de quibus in capite 1 dicitur, novus Decanus ad reliquum temporis spatium eligitur, dummodo id non minus quam sex menses sit. Electio iuxta praescripta in cap. 1-9 perficitur.
12. Numerus officia exsequendi Decani est infinitus.

Art. 10

1. Decanus facultatem gubernat cum auxilio non plus quam trium Pro-decanorum, in quibus Pro-decanus ad negotia studentium invenitur.
2. Officia Pro-decanorum Decanus designat.
3. Pro-decanos de postulatione Decani Rector ad quadriennium designat e coetu Professorum, professorum Universitatis vel adiunctorum, qui in Facultate laborant.
4. Pro-decanis obtinere approbationem Magni Cancellari Facultatis necesse est.

Art. 11

1. Decani collegium consiliarium et ad res aestimandas pertinens Consilium Decani est, in quo adsunt:
 - 1) Decanus, qui eius praeses est;
 - 2) Pro-decani;
 - 3) Praeses Consilii Disciplinae;
 - 4) Moderatores Cathedrarum;
 - 5) Repraesentatores organi autonomii studentium Facultatis;
 - 6) Rectores Seminariorum Maiorum, quae ad Facultatem affiliata sunt;
 - 7) Moderator decanatus.
2. Numerus repraesentatorum, de quibus in cap. 1, loc. 5, dicitur, viginti centesimae partes sociorum Consilii Decani pretium habet. Numerus repraesentatorum organi autonomi studentium infra rotundum fieri oportet.
3. In sessionibus Consilii Decani ius participandi Magnus Cancellarius Facultatis habet.

Art. 12

1. Competentia Consilii Decani peculiariter continet:
 - 1) Aestimare modum emergendi candidatos moderatores cathedrarum;
 - 2) Aestimare strategiam progressus Facultatis;
 - 3) Disserere res praesentes ad Facultatem pertinentes;
 - 4) Aestimare rationem ad rem nummariam pertinentem;
 - 5) Aestimare descriptionem statutorum Facultatis;
 - 6) Aestimare rationem studiorum;
 - 7) Designare commissiones Facultatis ad certam rem recensendam aut opinionem remittendam;

- 8) Cura de qualitate eruditionis in Facultate;
- 9) Periodicam aestimationem muneris professorum academicorum ad effectum adducere.

Art. 13

1. Consilium Disciplinae Scientiae Theologicae in rebus scientificis et didacticis collegiale organum potestatis est.
2. Participes Consilii Disciplinae sunt:
 - 1) Omnes repraesentatores disciplinae theologiae professores academici, qui titulum professoris vel gradum scientificum doctoris habilitati habent;
 - 2) Viginti quinque centesimarum partium praeceptorum academicorum (non minus quam unus), qui gradum scientificum doctoris habent et disciplinam theologicam repraesentant;
 - 3) Decem centesimarum partium reliquorum praeceptorum academicorum (non minus quam unus), qui disciplinam theologicam repraesentant;
 - 4) Pro-deceni, si in coetibus praeceptorum academicorum, de quibus in cap. 2, loc. 2 dicitur, non electi sunt.
 - 5) Unus de doctorandis, qui disciplinam theologiae repraesentat.
3. Numerus sociorum, qui evenit e participatione centesima designata in cap. 2, loc. 2-3, globatur altius.
4. Si in Facultate minus quam triginta praeceptores academici laborant in structuram Consilii Disciplinae intrans omnes praeceptores academici repraesentatores disciplinam theologiae atque unus de doctorandis, qui disciplinam theologiae repraesentat.
5. Tempus honoris Consilii Disciplinae quattuor annos durat et incipitur die, qua tempus honoris Senatus incipitur.

Art. 14

1. Ad competentiam Consilii disciplinae pertinet:
 - 1) Grados scientificos praebere;
 - 2) Tutela super studia doctoralia;
 - 3) Iudicare de rationibus studiorum in disciplina theologiae;
 - 4) Indicare directiones rationis personalis in finibus disciplinae theologiae;
 - 5) Iudicare criteria aestimationis et ascensus ad altioris dignitatis gradum praeceptorum academicorum;
 - 6) Iudicare criteria ascensus ad altioris dignitatis gradum et negotium in munere praeceptorum academico assignato;
 - 7) Se occupare in rebus pertinentibus ad investigationes scientificas, progressum et eruditionem in finibus disciplinae theologiae.

Art. 15

1. Consilium disciplinae sessionem bono modo necessitatum peragit, quae ad effectum negotiorum tempore apto adducit, sed non rarius quam semel in semestri.
2. Ex omni sessione Consilii Disciplinae tabulae scribuntur.

3. Socii Consilii Disciplinae obligati sunt in tacito tenere res sequentes:
 - 1) ad personas pertinentes;
 - 2) quae a Consilio distincte definita sunt ut secreta.
4. In sessionibus Consilii Disciplinae ius participandi Magnus Cancellarius Facultatis habet.
In suffragiis non particeps est.

Art. 16

1. Deliberationes Consilii Disciplinae praeses Consilii Disciplinae habet, quem ad quadriennium Senatus Universitatis designat.
2. Candidatus, qui praeses Consilii Disciplinae sit, eligitur e membris suis e coetu professorum, professorum Universitatis et doctorum habilitatorum, qui disciplinam scientificam „theologia” repraesentant.
3. Candidatus in suffragio secreto eligitur absoluta maiori parte sententiarum, praesente minime dimidia parte membrorum consilii disciplinae scientificae.
4. Candidatus a Magno Cancellario Facultatis acceptationem habere debet.
5. Si acceptatio a Magno Cancellario Facultatis non sit, ab integro causa agitur, de qua in cap. 2-3 dicitur.

Art. 17

1. Moderatores nomadum Facultatis Decano postulante et consentiente Consilio Facultatis a Rectore nominantur.
2. Moderator cathedrae professor vel doctor habilitatus ac in eximio casu doctor esse potest. Anno academico exeunte moderatores uniusquisque monadis Decano Facultatis relationem reddunt.
3. Officia moderatorum monadum Facultatis normis a Consilio Decani praescriptis definiuntur.
4. Si necessitas impellat curator cathedrae vel studiorum sedis moderator alterius cathedrae vel studiorum sedis aut professor vel doctor habilitatus potest esse, qui in Facultate plenum pensum muneris non absolvit.

III. PRAECEPTORES

Art. 18

1. In Facultate Theologica muneribus fungi constantes operarii possunt, qui congruis qualitatibus praediti doctrinam catholicam fideliter accipiunt, ad normam ethicae catholicae vivunt atque officia sua bene exsequuntur, necnon conectuntur condicionibus, quae ad praescripta civilia attinent.

2. In Facultate Theologica in casibus particularibus personae competentes in ambitu theologiae professionum christianarum quam Catholica Ecclesia et alteri religioni adhiberi possunt, qui alterius ecclesiae vel religionis sunt - servandum art. 18 *Ordinationes ad CA „Sapientia Christiana”* et artt. 191-195 *Directorium Oecumenico*. Sed disciplinas theologiae catholicae edocere non possunt.
3. Praeceptores academici sunt docentes scientifico-didactici et operarii didactici, qui implent munera:
 - 1) professoris
 - 2) professoris Universitatis
 - 3) adiuncti
 - 4) assistentis
4. Praeceptoribus academicis opus est apte habere: profesor titulum scientificum professoris; profesor Universitatis gradum doctoris habilitati; adiunctus gradus doctoris; assistens minime gradus magistri.
5. Promotio ad superiores gradus temporis intervallo elapso non minus quam trium annorum fit.
6. In Facultate praeter constantes praeceptores academicos munera fungere possunt personae, quae negotia permissa praescriptis publicis et ecclesiasticis servatis efficiunt.
7. Congrue cum Statutis Universitatis in Facultate non minus quam 25 praeceptores academici laborare debent (quini in omni cathedra), inter quos minime tres cum postulata auctoritate philosophica.

Art. 19

1. Modus laborem imponendi docentibus Facultatis et eorum gradus academici praescriptis civilibus, Statutis Universitatis atque praescriptis ecclesiasticis designatur.
2. Munus praeceptoris academici Rector Universitatis prospicit postulante Decano et opinione a Consilio Disciplinae expressa secundum normas Constitutionis de scholis superioribus, Statutorum et praescriptorum legis occupationis.
3. Candidatus, antequam munus suscipiat, pactum cum Decano subscribit de praecipua praestatione disciplinari, quae ad morum integritatem ac orthodoxiam in instituendo aut annuntiando doctrinam Ecclesiae catholicae pertinet, necnon de eventu vacationis, si Magnus Cancellarius missionem canonicam vel veniam docendi in Facultate aufert.
4. Praeceptores academici, qui disciplinas ad fidem vel mores spectantes docent, antequam munera sua suscipiant, missionem canonicam a Magno Cancellario accipere et coram Decano professionem fidei exprimere debent.
5. Ad missionem canonicam aut veniam legendi habendam in Facultate Theologica Decanus ad Magnum Cancellarium confert.
6. Docentes omnes, antequam ad supremum ordinem didacticum promoveantur (professor), declaratione „nihil obstat” Sanctae Sedis indigent (cfr. *Veritatis Gaudium*, art. 27 § 2).

Art. 20

1. Praeceptor academicus Facultatis Theologicae respicit praecipuam praestationem disciplinarem, quae ad morum integritatem et orthodoxiam in instituendo atque annuntiando doctrinam Ecclesiae catholicae attinet.
2. Si delictum evenit, de quo art. 18, par. 3 tractat, Decanus primum cum praeceptore academico idoneum sermonem facit. Si hic sermo nullum fructum efficit, Decanus illam rem mandat comissioni ad haec convocatae, quae saltem tres membra Consilii Decani habere debet.
3. Nisi media in par. 2 enumerata satis habeantur, tradit Decanus rem Magno Cancellario, qui illam cum peritis disceptet. Inter peritos non minus quam unus, qui nomine Consilii Facultatis agit, inesse debet.
4. In casibus gravioribus vel urgentioribus, si id requirit spirituale bonum studentium aut christifidelium, Magnus Cancellarius praeceptorem in legibus suspendere potest, dum naturalis actio explicabilis ad finem adducta sit. De suspensione et ad tempus cathedra vacua Rectorem certiore facit.
5. Si praeceptori academico vera exceptio exhibetur, Magnus Cancellarius ei missionem canonicam vel veniam legendi in Facultate detrahere potest. Primum tamen opinionem eius, qui accusatus est et commissionis Consilii Decani audire debet.
6. Sententiam detrahendae missionis canonicae Magnus Cancellarius tradit Decano Facultatis et Universitatis Rectori, qui propriam actionem incipit.
7. Missionis canonicae vel veniae legendi detractio est consecutio interrumpendi condiciones, de quibus pactum ad laborem accipiendum a praeceptore academico subscriptum (art. 13, par. 3) tractat. Vacuum munus in Facultate Theologica a Rectore novo docenti assignatur iuxta praescripta civilia et ecclesiastica in Statutis definita.
8. In casu plagiatus aut aliarum violationum scientialium causam suspecti praeceptoris academici Decanus tradit Universitatis Rectori, qui actionem incipit secundum dispositionem legis statu.

Art. 21

Praeceptor academicus, qui exceptione instituendi aut annuntiandi falsam doctrinam Ecclesiae catholicae accusatur, ius ad explicationes proponendas habet. A sententia Magni Cancellarii ille accusatus ad Sedem Apostolicam appellare potest. Si insimulationes ante oculos praeceptori academico positae non confirmatae sunt, potestas, quae causam examinabat, sententiam suam litteris studioso tradit.

Art. 22

Presbyteri dioecesani et personae religiosae ad munus assumendum in Facultate Theologica consensu proprii Episcopi vel Superioris maioris indigent.

Art. 23

1. Ad praeceptorum scientifico - didacticorum Facultatis munera pertinent;

- 1) investigationem scientificam et officia didactica facere, et in casu professorum ac doctorum habilitatorum iuvenes investigatores instituere; ratio et dimensio officiorum didacticorum a Senatu Universitatis designatur;
 - 2) formationem educativam, praesertim habitus morales et civiles studentium augere;
 - 3) operis, quae in Universitate et Facultate ordinantur participare, Consiliis Disciplinae interesse, variis fungi officis, opera, quae ab auctoritatibus Universitatis et Facultatis committuntur, peragere.
2. Praeceptores academici per tempora probantur, quomodo officia sua impleant. Consilium Decani existimat minime semel in quadriennio. Operarius, qui indicium negantem obtinuit iterum post unum annum aestimatus est. Secunda aestimatio negans vacationem socii efficitur.

Art. 24

Praeceptoribus academicis ius competit, ut feriarum investigationum exercendarum, valetudinis firmandae necnon suae professionis perficiendae gratia tempus habeant ad normas praescriptis civilibus et Statutis Universitatis definitas.

Art. 25

Pacta de labore facienda et solvenda a ceteris, qui praeceptores academici in Facultate Theologica non sunt, a Rectore Universitatis aguntur postulante Decano iuxta idonea praescripta cohibita in Constitutionibus, quae ad rem sunt, Statutis Universitatis et his Statutis.

IV. DE FACULTATIS THEOLOGICAE STUDENTIBUS

Art. 26

1. Studentes Facultatis iuxta clerici ac laici necnon alumni Seminariorum Maiorum esse possunt.
2. Facultas Theologica omnibus iis patent qui, legitimo testimonio praediti, vitae moribus ac studiis praeviis expletis idonei sint ut Facultati adscribantur (*Veritatis Gaudium*, art. 31).
3. Legitimum testimonium de vitae moribus, pro clericis, sacrorum alumnis et personis consecratis datur a proprio Ordinario vel Hierarcha, Superiore vel ab eorum delegato; pro ceteris a quodam ecclesiastico (*Ordinationes*, art. 26 § 1).

Art. 27

1. Inscriptio ad primum annum frequentandum a Universitatis commissione pro studentibus admittendis agitur secundum normas a Consilio Facultatis et a Senatu approbatas.
2. In casu candidatorum, qui Seminarii Maioris alumni esse volunt, sermonem Rector Seminarii Maioris vel persona ab eo delegata habet. Sed ultima decisio ad Episcopum dioecesis vel Superiorem maiorem religiosum attinet.

3. Studens in Facultatem Theologicam inscriptus immatriculationem et promissum coram Decano iuxta Universitatis Statuta facere debet.
4. De admissione in sequentes studiorum annos Decanus iuxta praescripta rationis studiorum statuit.
5. Decanus de adscribendo in numerum studentium exulium, profugorum atque in similibus conditionibus personarum non possidentium communiter postulorum documentorum praescripta iuris publici conservans pronuntiat.

Art. 28

Praecipua studentis iura et officia Statutis Universitatis Copernicanae Toruniensis, Statutis Facultatis et ratione studiorum definiuntur.

Art. 29

1. Studens Facultatis Theologicae approbante Decano ad aliam scholam superiorem atque ab una ad alteram facultatem Universitatis congrue cum salvis praescriptis transire potest.
2. Si studens transit et admittitur approbante Decano ex alia schola superiore vel ex alia facultate, omnes cursus et seminaria secundum rationem Facultatis Theologicae studiorum requiruntur.

Art. 30

Approbante Decano studens alterum studiorum cursum in alia facultate vel in alia schola superiore incipere potest, si priorem studiorum annum aestimatione *bene* censeatur, atque munera alterius studiorum cursus non impediunt in studentis obligationibus, quae ad cursum fundamentalem spectant.

Art. 31

1. Curam pastorem studentium efficit curator animarum consensu cum Decano habito a Magno Cancellario nominatus.
2. Decanus e praeceptoribus scientifico-didacticis tutorem ad singulum studiorum annum statuit.

Art. 32

1. Facultatis studentes organum autonomum faciunt, quod cunctos studentes repraesentat et viget secundum ordinem a Consilio Facultatis approbatum.
2. Repraesentatores organi autonomi possunt reddere opinionem, quae ad Universitatem, praesertim processum instituendi, educandi necnon subsidia attinet.
3. Repraesentatores organi autonomi in sessionibus Consilii Decani ac aliorum organorum collegialium participant congrue cum salvis normis Statutorum Universitatis.

Art. 33

1. Studentes Facultatis ius congregandi habent in consociationibus et coetibus academicis meritis christianis non contrariis et sub tutela auctoritatum Facultatis agentibus. Societatibus et coetibus actiones politicas facere in Facultate Theologica non licet.
2. Statuta societatum et coetuum academicorum in Facultate a Decano et Rectore approbantur.
3. Omnes societates et coetus, qui in Facultate vigent, curatores suos a Rectore Universitatis postulante Decano vocatos habent.
4. In Facultate Theologica circuli scientifici studentium agere possunt.

Art. 34

1. Decanus in casibus praescriptis normis Statutorum Universitatis et ratione studiorum studentem ex indice studentium excludit.
2. Studens, qui exclusus est, ius recursus ad normas rationis studiorum habet.

Art. 35

1. Transgressio legis, praesertim officiorum, quae Statutis Universitatis vel Statutis Facultatis, vel studiorum ratione determinantur, poena ordinaria aut disciplinari exigere potest.
2. Poena ordinaria admonitio Decani vel Rectoris est.
3. Poenae disciplinares haec sunt: vituperatio, vituperatio cum admonitione, suspensio in ceteris iuribus ad unum annum, exclusio ex Universitate.
4. Poenas disciplinares Universitatis Commissio Disciplinaria pro Studentibus fert. Studens ad Commissionem Disciplinarem Appellationis pro Studentibus ius revocandi habet.
5. In casu plagiatus aut aliarum violationum scientialium, causam studentis suspecti Decanus tradit Universitatis Rectori, qui actionem incipit secundum dispositionem legis statu.

V. MAGISTRATUS, OPERARII ADMINISTRATIONIS ET FAMULI

Art. 36

Decanum in gerendo et administrando Facultatem magistratus, operarii administrationis et famuli adiuvant.

Art. 37

Ad magistratum Facultatis pertinet Bibliothecarius Facultatis, qui arcte collaborat cum direttore Bibliothecae Principalis Universitatis. Bibliothecarius a Rectore Universitatis postulatu Decani atque directoris Bibliothecae Principalis occupatur.

Art. 38

Singulam rationem munerum Bibliothecarii ratio laboris bibliothecariorum Universitatis Copernicanae definit.

Art. 39

Operarii administrationis Facultatis operarii decanti sunt. Singulam rationem eorum munerum ratio laboris Universitatis Copernicanae definit.

Art. 40

Ad famulos pertinent: curator aedificii Facultatis, personae, quae munditiae consulunt et ostiarii. Singulam rationem eorum munerum ratio laboris Universitatis Copernicanae definit. Omnes in potestate Cancellarii Universitatis sunt.

Art. 41

Magistratus, operarii administrationis et famuli habent iura et privilegia congrue cum codice laboris, qui in Polonia valet.

VI. GRADUS SCIENTIFICI

Art. 42

Salvis praescriptis ecclesiasticis et civilibus Facultas Theologica titulum professionalem magistri et licentiati necnon gradum scientificum doctoris et doctoris habilitati in ambitu theologiae confert.

Art. 43

1. Ad titulum professionalem magistri et licentiati in theologia assequendum requiruntur:
 - 1) affirmatio horum, quae programma studiorum statuit;
 - 2) dissertationem scriptam, quae duas certas solidasque recensioni habet, proponere;
 - 3) examen, quod Consilium Facultatis definit, coram commissione reddere;
2. Gradus scientificus doctoris in theologia a Consilio Disciplinae confertur firmis praescriptis ecclesiasticis et civilibus.
3. Gradus scientificus doctoris habilitati a Consilio Disciplinae colloquio habito secundum vigentes normas civiles confertur.

Art. 44

1. Consilium Disciplinae titulum doctoris honoris causa conferre potest eis, qui praecipue in ambitu scientiae, culturae, religionis, eocumenismi, dialogi et missionis meriti sunt.
2. Consultum Consilii Disciplinae de titulo doctoris honoris causa conferendo a Magno Cancellario approbatur.

3. Magnus Cancellarius post declarationem Nihil obstat a Sede Apostolica acceptam et consensione auctoritatum Universitatis adepta consultum Consilii Disciplinae de titulo doctoris honoris causa confirmat.

VII. INSTRUMENTA DIDACTICA ET INFORMATICA

Art. 45

1. Facultas propriam bibliothecam habet et Bibliotheca Dioecensi Toruniensi, Bibliotheca Dioecensi Vladislaviensi et Bibliotheca Dioecensi Pelplinensi atque collectionibus Bibliothecae Principalis Universitatis Copernicanae utitur.
2. Conservationi et assidui incrementi collectionum bibliothecae officii conscius Decanus Facultatis est, qui in annali ratione congruam pecuniae summam ad emptionem novorum librorum assignat et pro usu electronicis basibus indiciorum atque pro subnotatione litterarum polonarum extranearumque pretium persolvat.
3. Bibliotheca catalogus electronicus bene praeparatus habet, qui electronici systematis catalogi Bibliothecae Principalis Universitatis pars est.
4. Ad Bibliothecam omnibus professoribus et studentibus Facultatis facilis aditus est. Etiam personae foris ea uti possunt.
5. Bibliotheca cum aliis bibliothecis Facultatum Universitatis Copernicanae Toruniensis, cum Bibliotheca Principiali Universitatis, cum aliis bibliothecis Torunii atque cum bibliothecis domesticis et extraneis collaborat.
6. Facultas iustum numerum aularum et auditoriorum instructorum in instrumenta audivisifica habet. De moderna emendatione auditoriorum et idonea eorum exornatione Decanus Facultatis curat.

VIII. ADMINISTRATIO OECONOMICA

Art. 46

Bona Facultatis res propriae Universitatis Copernicanae Toruniensis sunt.

Art. 47

1. Auctoritas publica se obligat ad adiuvandum in tenendis aedibus et fungendo Facultate (vide: Constitutio de erigenda Facultate Theologica in Universitate Copernicana Toruniensi).
2. Salarium menstruum operariorum Facultatis, stipendia studentium atque aliae dotationes scientificae a fisco publico et ab Universitate Copernicana Toruniensi provenient. (Vide: Constitutio de erigenda Facultate Theologica in Universitate Copernicana Toruniensi et Conventio inter Gubernium Rei Publicae Polonorum et Conferentiam Episcopatus Poloniae de erigenda et agenda Facultate Theologica in Universitate Copernicana Toruniensi) atque de principiis ad rem nummariam pertinentis oeconomiae Universitatis Copernicanae Toruniensis.

Art. 48

Ecclesia Catholica expensa pro aedificationibus et reparationibus aedificiorum ecclesiasticorum, quae Facultati Theologicae gratuito concessa sunt, erogat. (Vide: Conventio inter Gubernium Rei Publicae Polonorum et Conferentiam Episcopatus Poloniae de erigenda et agenda Facultate Theologica in Universitate Copernicana Toruniensi). Assignmentem et expensa subsidiorum dioecesis Toruniensis pro necessitatibus Facultatis Theologicae (aedificationes et reparationes) ecclesiastica Commissio pecuniaris ad Facultatem Theologicam aestimat, membra cuius sunt: Decanus, repraesentator Magni Cancellarii, Rectores Seminariorum Maiorum et repraesentator docentium.

IX. RELATIONES CUM ALIIS FACULTATIBUS

Art. 49

1. In Facultate Theologica Seminaria Maiora, Instituta et Studia Theologica tum dioecesium tum institutorum religiosorum, ad Baccallaureatum consequendum, post approbationem a Congregatione de Institutione Catholica affiliari possunt.
2. Agregatio et Incorporatio Instituti Facultati, ad superiores etiam gradus academico consequendos, a Congregatione de Institutione Catholica decernuntur, post impletas condiciones ab eadem determinatas.
3. Seminaria Maiora, Instituta et Studia Theologica suam pristinam speciem legalem conservant. Suum regimen ad aminationem habent necnon diriguntur propriis statutis (cfr. *Veritatis Gaudium*, art. 21).
4. Decani est officium, quod attinet ad scientificam alumnorum in Facultate Theologica formationem secundum in Polonia obligantem Rationem studiorum a Sede Apostolica approbatam.
5. Rectores Seminariorum Maiorum, qui cum Facultate Theologica affiliationem habent, in examinibus alumnorum suorum ad diploma accipiendum idoneis praescriptis servatis interesse possunt.
6. Facultas cooperationem cum aliis studiorum centris ecclesiasticis et laicis domesticis et externis habet.

Art. 50

1. Facultas Theologica cum Seminariis Maioribus in praeparatione candidatos ad presbyteratum congrue cum salvis praescriptis ecclesiasticis collaborat.
2. Rectores Seminariorum Maiorum ab episcopis nominati, qui cum Facultate Theologica affiliationem habent in Consilii Decani sessionibus participant.

Art. 51

1. Studentes – alumni Seminariorum Maiorum ad primum annum studiorum a Commissione Facultatis, cui Rector proprii Seminarii compraesidet, inscribuntur. Praeter condiciones communes in admissione ad studia in Universitate, adhibentur etiam criteria ab auctoritate ecclesiastica definita.

2. Consilium Decani subtiliter determinat argumentorum ambitum, qui requiritur inter examen ad primum annum assequendum, necnon constituit Commissionem pro Admissionem ad hoc examen peragendum.
3. Examine facto et omnibus documentis depositis candidatus ad immatriculationem accedit. Hoc modo studens Facultatis Theologicae et Universitatis putatur.

Art. 52

1. Alumni Seminariorum Maiorum, sicut Facultatis studentes, possident iura et obligationes Statutis Universitatis et ordine studiorum definitas. Insuper ad statuta Seminarium Maioris servanda obligantur.
2. Decanus Facultatis exhibet Consilio Disciplinae annuam pensuram rationem singulorum annorum cursus academici, quae studentibus inclusive alumnis destinata est. Calendarium Seminarium Maioris a Rectore Seminarium ante sex menses ante initium anni academici Decano enuntiatur.
3. Studia et examina alumnorum iuxta studiorum rationem in Facultate exercentur. Spatium singulorum semestrium et tempus examinatorum servatis moribus exstantibus in Universitate Decanus Facultatis proponit.

Art. 53

1. Modus utendi sedibus, quae dominium Seminarium Maioris sunt, peculiaribus normis ordinatur.
2. Res nummarias ac oeconomicas necnon alias solutiones ad cooperationem tenendam determinat peculiaris conventio inter Facultatem et Seminarium Maiora.

Art. 54

1. Decretum erigens Facultatem Theologicam in Universitate Copernicana Toruniensi spondet Ecclesiae Catholicae, scilicet Sedi Apostolicae, Conferentiae Episcopatus Poloniae et Episcopo Toruniensi seu Magno Cancellario vigilantiam in rebus agendis Facultatis Theologicae.
2. Ambitus et modi vigilantiae, quibus identitas catholica et ecclesiastica Facultatis Theologicae confrimatur, a praesentibus statutis atque Statutis Universitatis definiuntur necnon peculiari Conventione inter Gubernium Rei Publicae Polonorum et Conferentiam Episcopatus Poloniae de erigenda et agenda Facultate Theologica in Universitate Copernicana Toruniensi subsignata a Praeside Conferentiae Episcopatus Poloniae et Episcopo Toruniensi et Administrato Educationis ordinantur.

Art. 55

Operarii et studentes Facultatis Theologicae pares sunt in iuribus ac officiis cum operariis et studentibus ceterarum facultatum Universitatis, differentiarum exstantium in Statutis Universitatis et Facultatis ratione adhibita.

Art. 56

Facultas Theologica cum aliis facultatibus Universitatis Copernicanae Toruniensis cooperationem habet, maxime dialogum inter varias disciplinas promovendo et implicationes ethicae et morales investigationum scientificarum exprimendo. Talis cooperatio suscitatur quoque cogitationes theologicas et ad quaestiones hodierni mundi intellegendas melius confert.

Art. 57

Facultas cooperationem ex pacto idonearum conventionum cum aliis cum aliis universitatibus, facultatibus et scientiae centris ecclesiasticis in Polonia et externis. Cooperatio ea ante omnia ad professores vicissim delegatos, studentes, communes investigationes, informationes de sua industria scientifica, commutationem commentariorum periodicorum pertinet. Cooperatio ea fines praescripti in *Veritatis Gaudium* art. 85, assequi vult.

Art. 58

Facultas identitatem suam servans cooperationem cum aliis universitatibus, facultatibus et scientiae centris laicis domesticis et externis habet. Peculiarem rationem huius cooperationis aptae conventiones definiunt.

Art. 59

Statuta praescripta habent vim obligandi a die, qua a Sede Apostolica approbantur.

Datum Torunii, die 11 mensis Novembris Anno Domini MMXIX

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE STUDIORUM INSTITUTIS)

Prot. N. 85/2020

VIDIMUS ET APPROBAVIMUS
ad quinquennium experimenti gratia

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die III mensis Iulii, in memoria S. Thomæ
Apostoli, a. D. MMXX.


PRÆFECTUS

+ 
A SECRETIS